



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De secunda Beati Athanasii relegatione, & Gregorij tum ordinatione tum  
morte. Cap. IIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

THEODORITI HISTOR.

*De secunda Beati Athanasii relegatione, & Grego-  
rij tum ordinatione tum morte. CAP. IIII.*

**H**IS & similibus rationibus cum leuem in primis & flexibilem Constantij animum oppugnassent, persuasere vt Athanasius ecclesia pelleretur. Athanasius autem, intellectis eorum insidiis, clam se subduxit Alexandria, & recta in Occidentem contendit. Etenim Iulium episcopum, qui tum Romanam rexit ecclesiam, Eusebiani de criminibus, quæ falso contra Athanasium confinxerant, per literas certiore fecerant. Ille ecclesiæ canonem secutus, & eos iussit Romam venire, & diuinum Athanasium, quo pro se in iudicio ipse responderet, vocauit. Qui vt primum fuit accersitus, eò maturè contendit. Tragediæ autem aucthores Romam ideo non sunt profecti, quòd intellexerunt sua mendacia manifestò fore deprehensa. Qui vbi oues gregis Alexandrini pastore destitutas vident, quendam nomine Gregorium, lupum videlicet in locum pastoris, substituant. Qui ad sex annos multo maiore crudelitate, quàm agrestes belluæ, in gregem vsus tandem à suis ipsius ouibus misere extinctus fuit, debitasq; suæ improbitatis pœnas persoluit.

*De Paulo Constantinopolitano episcopo. CAP. V.*

**A**thanasius vero ad Constantem accedens (Constantinus enim filius Constantini natu maximus, in bello interemptus erat) de factionis Arianæ insidiis conqueri, bellum contra fidem apostolicam excitatum lamentari, & tum patris, tum magni concilij Nicæni, quod ille conuocauerat, eum in memoriam reducere cœpit: quinetiã decreta patrum, quibus ille vna interfuerat, ab eo lege confirmata fuisse. Talia cum gemitu & lachrymis apud Constantem Imperatorem elocutus, eum ad patrem æmulandū excitauit. Nam simul atque ista audiuit, literas scripsit ad fratrem, quibus cum hortabatur, vt hæreditatem pietatis paternæ integram inuiolatamq; seruaret. Illum enim imperium pietate stabiliuisse, tyrannos, qui Romanos oppresferant, profligasse, & Barbaros vndiq; in suam potestatem redegisse. Quibus literis persuasus Constantius, mandatum dedit